



HERENNIANVS, & Timolaüs, Odenato patre nati sunt, quos moriens superstites reliquit pater. horum nomine Zenobia mater vsurpauit Imperium, ac rempub. administravit diutius quàm fœminam decuit: paruulos Ro. Imperatorio habitu ostendit purpuratos, eosdémque adhibuit concionibus quas illa quasi vir sæpe ad populum habuit, Didonem, Semiramidem, & Cleopatram sui generis principem inter cætera prædicās. De horum exitu incertum est: aiunt nonnulli ab Aureliano interemptos, alij morte sua extinctos: nã & Zenobiæ posteri etiam Romæ inter nobiles agebant tempore Trebellij Pollionis, qui horum vitas descripsit.

TIMOLAVS, supradicti Herenniani frater, breui Græmaticam consecutus esse dicitur: fratri fuit haud absimilis, eum tamen ingenio longè anteuertit, nam potuisse Timolaüm summum etiam Latini sermonis Rhetorem instituere tradunt. Consulito quem supra citavi autorem.